

Dissertatio medica inauguralis de palpitazione ... / [Thomas Emerson Headlam].

Contributors

Headlam, Thomas Emerson, 1777-1864.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Adamus Neill, 1800.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jkqerrfm>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



1) HEADLAM, T. E.

2) MONRO, A. Tertius



QUESTIONS

AND

ANSWERS

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PALPITATIONE.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUREALIS

PALPITATIONE

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PALPITATIONE;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO
GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
THOMAS EMERSON HEADLAM,
ANGLUS:

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR.

ET NUPER PRÆSES ANNUUS;

SOCIET. NAT. STUD. EDIN. PRÆS. ANN.

NECNON SOCIET. SPEC. SOC.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC.

DISSECTATIO MEDICA
IN AURICULAM

P A L A T I O N E

JOHANNES ALBERTUS

D. GEORGII



JOHANNES ALBERTUS

DISSECTATIO MEDICA

IN AURICULAM

THOMAS EMERSON

464050

ALBERTUS

JOHANNES

DISSECTATIO MEDICA

IN AURICULAM

AMICO SUO,

JOHANNI ALLEN, CHIRURGO,

EDINBURGI

DE PHYSIOLOGIA

PRÆLECTORI SOLERTISSIMO,

OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM,

HOC OPUSCULUM

SACRUM ESSE

VULT

AUCTOR.

JOHANNI ALLEN, CHIRURGO,

EDINBURGO

DE PHYSIOLOGIA

— *Seu mobilibus vitis inhorruit*
Ad ventum foliis, seu virides rubum
Dimovere lacertæ,
Et corde et genibus tremit.

HORAT.

Charles Best Esq.
from his friend
The Author

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PALPITATIONE.

EX quo primùm celeberrimus. HARVEIUS circuitum sanguinis deprehendit et demonstravit, in explorandas vires quibus circuitus iste efficitur, et usus quibus subservire potest, diligenter incubuere philosophi medici. Admirari necesse est, quàm latè pollent hæ variæ vires, necnon quàm mirabili et accuratâ concinnitate sibi invicem connectuntur

A

varia

varia corporis organa quæ huic operi infer-
viunt. Actiones enim cordis auricularum, ven-
triculorum, et arteriarum, sibi alternis vici-
bus, pulcherrimo ordine succedunt. Ex quo-
vis casu corporis, vel salubris vel morbidì,
clarissimè compertum est, quàm omninò pen-
deant ex hoc opere momentoso, omnes partes
corporis, et omnes processus. Hinc, in pleris-
que morbis, morbidæ affectionis gradum, ma-
gnoperè indicat circuitûs perturbatio. Cessat
plerumque hæc perturbatio, cessante morbo
unde oriebatur. Crebrò tamen evenit, ut vel
durante causâ, vel ex corporis temperie cui-
que propriâ, cor sit tam facilè et tam frequen-
ter perturbatum, adeò in fungendis suis offi-
ciis abnorme, ut morbum exhibeat, æquè
propter symptomata injucundum, ac propter
mala frequentia formidabilem. Hinc mate-
riam duxi, non levem credo neque inutilem,
tentaminis inauguralis, quippe qui vellem or-
dinis ergo lucidi, palpitationem tractare uti
affectionem

affectionem idiopathicam, et de morbis structuræ organicæ differere, uti affectionis hujusce causis.

Palpitatio, si definiatur, “ Motus cordis vehementis, abnormis,” leves illos impetus complectitur, quos morbosos vix appellare licet, quoniam ex violentis et brevè durantibus causis oriantur. Discrepant solummodò inter se, gradu severitatis paroxysmi, et facilitate quâ in ægrotum irruunt. Ab hac levi formâ, viribus gradatim et diversè crescentibus, progreditur morbus in acutum illum paroxysmum qui dolores quàm severos infert, et aspectum induit unde extrema reformidentur.

Supervenit aliquando paroxysmus ex causis maximè fixis et insanabilibus, haud alio comitatus symptomate quàm pulsibus arteriarum crebris et tenuibus. Plerumque tamen, aggreddiente morbo, respiratio insolitâ celeritate laborat,

laborat, et anxietas quædam circum præcordia plùs minúsve affert doloris. Durante paroxysmo, æger sæpe dolorem perſentit acutum in regione cordis, vel per thoracem vibrantem *, sæpe etiam ibidem gravitatem tantummodò, vel dolorem hebetem et univèrsum.

Variant arteriarum pulsus, æquè ex morbi statu, atque ex ægroti ætate aut sexu; utique inciderint hæ causæ, modò rari erint, duri et vibrati, modò debiles, inæquales et intermittentes. Plerumque accelerantur, adeò ut interdum numerari nequeant. Fiunt interdum adeò tenues ut ad carpum non dudum perſentiantur; aliàs multò pleniores fiunt et vehementiores, præſertim ſi inciderit amplificatio univerſa molis cordis, vel dilatatio cujuſdam ejus cavi. Intermiſſio et irregularitas sæpius obveniunt,

* Dr HUNTER, Lond. Med. Obſ. vol. 1.

obveniunt, si morbus sit organicus, præsertim si contigerit ossificatio quædam circum valvas ; aliquando tamen hoc signum paroxysmos comitatur levissimos, apud infantes potissimum et senes. Pulsus cujusdam multum intermittere, interdum vel novem spatio momentorum sunt soliti, cujus ventriculum duabus sanguinis libris refertum VESALIUS post mortem reperit. Pulsus equidem intermittere observantur, multis in casibus ubi palpitationes sunt certo ordine et lege constantes, et sæpe quidem pulsatio ad costas non respondet pulsui ad carpum.

Quando morbus aspectum gravissimum induit, cordis motus clarè oculis conspiciuntur, et venæ jugulares, et arteriæ carotides, pariter convulsæ sunt; atque agitatio est sæpe tam violenta, ut æger illam, non solum sentiat, verum audiat. Vasa capitis sanguifera turgent ; nunc cephalalgia sentitur acuta, nunc obveniunt
universa

universa sensuum perturbatio, vertigo et tinnitus aurium. Tremor omnium musculorum, et alternæ frigoris et caloris vices, vel frigoris tantum brevis et intermittens sensatio, comitantur paroxysmum.

Quis nunc enarrabit dolorem ægroti vultu depictum? vel angorem mentis, anxietatis, debilitatis, timidæ, irritabilis? Paroxysmo manente violento, symptomata superveniunt unde primum ingravescere videtur; sensim verò cessat ægri et morbus et cruciatus. Lassitudine laborat universâ, et muscoli in respirandum necessarii laboribus succumbunt suis. Deliquium et syncope superveniunt, præeunte interdum sensu angustiae pharyngis et instantis suffocationis.

Spatium temporis quo paroxysmi et intervalli durant admodum variat. Morbus interdum haud omnino diminuitur. Hoc rarò tamen

men accidit, etiam in organicis affectionibus maximè perturbatis. Crebrò autem cor manet continuò præter naturam agitatum, anxietatem afferens circa thoracem, et spirandi difficultatem.

Maxima debilitas plerumque consequitur, et morbida illa corporis et animi irritabilitas, unde sæpe oritur affectio, sæpe etiam, eâdem durante affectione, vel generatur vel ingravescit. Sunt prætereà quædam signa casu evenientia, scilicet flatus, anorexia, alvus astricta, vel quæ denique primas vias quoquomodo malè se habere indicant. Ex his signis paroxysmum comitantibus, æquè ac ex viribus et usibus organorum morbo affectorum, timere necesse est multas morbias totius corporis affectiones diutius mansuras. Præter syncopen vel apoplexiam, quæ proximè instant, haud rarò superveniunt asthma, dyspnœa, hydrops, præcipuè pericardii et thoracis.

Quamvis

Quamvis organa haud læsa fuerint antea, durante tamen palpitatione, plerumque fiunt morbida.



C A U S Æ.

CAUSÆ quæ statum illum fibrarum muscularium efficiunt, unde oritur aucta mobilitas, ut quidam aiunt, vel morbida irritabilitas, uti malunt alii, maximè corpus in hunc morbum prædisponunt. Status ille oriri debet vel ex plethorâ vel ex debilitate, et præsertim ubi vasa sunt plena, simul ac solida laxa sunt et debilia. Hinc palpitatio sæpe signum esse videtur, hysteriæ, arthritidis, et aliorum morborum in quibus hæc prædispositio maximè patet.

Morbus

Morbus hic in fœminas potiùs quàm in mares incidit, et in utrosque eo potissimùm ætatis gradu, cùm corporis temperies, jamjam pubescens, inter pueritiam et maturos annos fluctuat, cùm nondum se in nova sua munera accinxit, cùm animi concitatur affectionibus hactenus ignotis, et sentiendi facultas fit indies tenerior et acutior.

Evacuationes repressæ vel mensium vel hæmorrhoidum, frequens concubitus, intemperantia, nimiùm in literas incumbere sine exercitatione corporis, vigiliæ nocturnæ, et quorundam medicamentorum frequentior usus, utpotè hydrargyri et aliorum, in palpitationem maximè prædisponunt; præsertim verò affectiones animi doloriferæ, anxietas, spei frustratio, vel infaustus amor, tacitâ tabe marcescens. Tempore verno vel æstivo sæpius evenit; aliquando tamen tempestate humidâ, et hyeme, quando domi nimiùm manere et

corpus parùm exercitare unumquemque ferè cogit nostri cœli intemperies. Si morbus verò constans sit et permanens, non talibus pendet ex causis, nisi quod paroxysmos interdum excitent.

CAUSÆ EXCITANTES.

COR variis modis formam suam et magnitudinem mutare potest, et structurâ suâ adeò deturbari ut palpitatio exinde eveniat. SENACIUS animum advertens in debiliores parietes dextri cordis ventriculi, hoc inde consequi existimat, dextrum esse cavum quod plerumque dilatatur. MORGAGNIUS * autem, suâ et aliorum experienciâ fretus, frequentiore esse asserit dilatationem cavi finistri. Dextra auricula crebrò, sinistra perrarò, aneurismate afficitur. Ubi contigerit ea dilatatio, tam

structurâ

* MORGAGN. Epistol.

structurâ quàm magnitudine, cor à statu naturali decessisse compertum est. Interdum quò fit amplius eò tenerius, et vi muscolari minùs pollet. Aliquando multò durius, et materia illic cretosa vel ossea deponitur *.

Structura interdum valvarum cordis membranosa in duram cartilaginem, vel demum in verum os, convertitur, adeò ut non ampliùs summis muneribus fungi possit, neque oppositæ cordis partes in æquipondio poni. Exinde sanguinis circuitus fit abnormis, neque musculi cordis more solito, ut ullo nisu penitus sua depleat cava, excitantur. Exempli gratiâ ; cùm valvis arteriæ magnæ semilunari-
bus accidunt vitia, arteriâ sese contrahente, denuò in ventriculum sanguis retropellitur, atque eundem citiùs distendit. Renixu adeò aucto, ægriùs à pulmonibus atque ventriculo
dextro

* SENAC. de Cœur.

BAILLIE, Fascic. prim.

dextro recipitur. Ex hâc igitur causâ oritur palpitatio, et plerumque utriusque ventriculi aneurisma. Similiter, si valvæ sint morbidæ dextri ventriculi et auriculæ, crebrò fiunt causæ excitantes æquè palpitationis ac aliorum morborum cordis organicorum.

Est quædam species morbi valvarum quæ hætenus hæud omninò ferè innotuit; et quantum ipse comperi, unica est ægri historia, à SENACIO memorata, cujus valvæ mitrales et columnæ carneæ sinistri ventriculi fuerè ossificatæ, et cor sinistrorsùm dilatatum. Dr RUTHERFORD, qui huic rei diligenter incubuit, pluribus in casibus veram deprehendit ossificationem valvarum mitralium, et dilationem inde ortam auriculæ sinistræ. Ex his dissectis, specimina ille possidet anatomicè præparata. Valvæ aliquando sunt naturâ hæud perfectè formatæ, et inde sanguinis refluxum cohibere nequeunt, neque congestioni

in

in quolibet cavorum contrahentium obstare. Palpitatio sæpe consequitur aneurisma in arteriis majoribus, præsertim in aorta, ad fornicem ejus vel descensum, in ramis carotidis, et cæteris. Rarius verò evenit, quò longius distat à corde dilatatio.

Sunt variæ præter has causæ, quæ sanguinem de cursu suo libero et constanti deturbant, unde eveniant congestio, irritatio, et palpitatio. Tumorem inter arteriam magnam et pulmonalem, unciam unam pondere æquantem, ita collocatum GARNERIUS reperit, ut sanguini propulso obstitens in utroque ventriculo aneurisma efficeret.

Est aorta interdum præter naturam parva, et cavum arteriæ pulmonalis propemodùm vel omninò deletum constitit, unde transmissio sanguinis à corde magnoperè impediri solet. Aliquando etiam pariter transmissionem
hanc

hanc impediunt pulmonum morbi, utpotè pleurifis, asthma, phthisis, peripneumonia nottha, vel bronchiorum offificatio *.

Maxima est plerumque cordis irritatio, vel ex aqua in pericardio collectâ, ex inflammatione ipsâ, vel ubi, præeunte inflammatione, membrana cordi adhæreat.

Polypi, vel concretiones glutinosæ, olim in corde existere, et inde sanguinis cursui obstare, et cor ipsum irritare, existimabantur. Eoúsque valuit hæc notio, ut concretiones istæ sæpissimè recenserentur uti proximæ mortis causæ. KERKRINGIUS primùm suspicari ausus est tales concretus in ipso mortis articulo formatos esse, per separationem spontaneam sanguinis crassamenti et feri. Utrum tumores hoc modo fieri possint, difficillimum
effet

* SENAC. de Cœur.

efflet probatu, etsi talia difsecantibus comperta sunt morbida phænomena, ubi signa antea extiterant quæ inde oriri expectarentur. Plerumque tamen concretus polyposi in vivis formari nequivere, quoniam comperti sunt sine ullâ antecedente cordis actionis perturbatione, dummodo sint ita positi, ut ex necesse sanguinis circuitum perturbaverint. Totâ interdum cavitas ventriculorum, et fauces arteriarum juxta jacentium, his massis ferè complentur.

Sunt quædam aliæ causæ excitantes, scilicet, quæ oxygenationem sanguinis necessariam lædunt; si sanguis enim vim suam solitam perdat stimulandi et excitandi contractionem, fit inde in corde congestio. Eadem quoque est vis causarum illarum quæ sanguinis per pulmones fluxum impediunt. Clarissimè verum patet, ubi ex malâ corporis partium formatione, sanguis à dextro in sinistrum cordis

latus

latus transiens, se non subjiciat processui respirationis solenni. Sic interdum foramen ovale et canalis arteriosus manent aperti, et meatus patet per septum ventriculorum, &c. quando paroxyfmi severiores ex causis levissimis evenire solent.

Palpitationis causæ excitantes temporaneæ admodum sunt variæ, et ejusmodi plerumque ut sanguinem subitò in cor propellant, (præsertim si inde conversio à statu venoso in arterialem impediatur), et, ut irritationem inducant, vel systematis universi, vel vascularis tantùm, vel circa regionem cordis et pulmonum. Palpitatio sæpe proximè excitatur, magno quovis labore, vel impetu subito; utpotè saltu vel cursu, vomitandi vel parturiendi nixu, nimio potûs spirituosius usu, et stimulis aliis intèrnis, magno calore extero, actione gasium quæ respirationi noceant, vehementi aliquâ animi perturbatione, utpotè irâ, gaudio insolito,

infolito, aliisque; sæpe etiam supervenit ex frigore subito in corporis superficiem adhibito, sæpe ex dolore quovis acuto. Ligamina extremorum arctiora, irritatio morborum vel febrilium vel eruptivorum vel inflammatorum, vermium, aciditatis, vel cruditatis in primis viis, et præsertim onus diaphragmati incumbens stomachi turgentis, vel ex cibo nimium sumpto, vel ex flatu, et uteri gravidi, sæpissimè paroxysmum inferunt. “ In venereis actu,” ut ait PLATERUS, “ sibi statim palpitationem supervenire solere, quidam mihi fassus est, ab eâque adeò se angi, ut nisi desisteret, suffocaretur, quod et tandem illi accidit.” Ex nimia etiam exinanitione, et ex magnâ debilitate, evenire solet.

Sæpe lætitiâ epularum perdidit, post prandium eveniens, vel statim, vel paucarum horarum spatio. Oritur interdum ex corporis positione dormientis, jacentis scilicet vel

in tergum vel in latus finistrum. Si inde verò oriatur, præeunt plerumque somnia horribilia, sensus molesti, et anxietas dolorifera incubi :

“ Whilst with quick sighs and suffocative breath,

“ The interrupted heart-pulse swims in death.”

DARWIN.

Si palpitatio sit severior, vel frequentius vel vehementius ægrum aggrediens, et præsertim si ex morbo organico oriatur, sæpe à levissimâ quavis inducitur animi perturbatione, à motu corporis quolibet levi, etiam inter cibum atque potum sumendum, vel fæces dejectiendas. Homini cui affidebat MORGAGNIUS ita res se habebat, ut neque decumbere, neque intestinorum aut vesicæ onus deponere, neque adeò alimenta deglutire poterat, quin ferè paroxysmus illicò excitaretur, præsentem suffocationem ipsamque propemodùm mortem aliquando intentans.

RATIO



RATIO SYMPTOMATUM.

CLARE patebit symptomatum ratio, si causas unde orta fuerint recenseamus. Oriri videtur cordis nimia et morbida actio, ex fibris ejus muscularibus nimium mobilibus, qui more insolito irritantur. Pariter erit tremor cæterorum corporis musculorum. Vires quidem musculares credendum est valdè pendere ex debito sanguinis arterialis fluxu. Hinc sæpissimè accidit, si in corde sanguis deoxydatus congeratur.

Ubi sanguis circa cor et pulmones coacervatur, haud mirum est si oppressio sentiatur, et difficilis sit respirandi labor; et si ex uni-

Versâ

versâ thoracis deturbatione, et ex læsione forsan nervi phrenici sinistri, æger dolore acuto afficiatur.

Pulsus plerumque tenuis est et intermittens, æquè propter obstructions quæ adfunt, ac propter ventriculorum contractionem minus robustam et perfectam, præsertim si sanguis non stimulet satis neque excitet actionem arterialem; plerumque quidem minor copia sanguinis per arterias in hoc morbo transit. Cephalalgia, et sensuum tumultuatio, à congestionem sanguinis in vasis capitis manifestè oriuntur.

Certamen sensationum doloriferarum, cordis musculorum actio, et processûs respirationis difficultas, satis causam præbent, unde supervenire debent, et languor qui comitatur paroxysmum, et syncope quâ terminatur.

Qui

Qui palpitatione laborant, sæpe imaginationi morbidæ succumbunt; inde dormientibus, quando minùs solito pollet voluntas, per irritationem vel oppressionem circa thoracem, horribilia ingruunt somnia.

Ut rationem reddamus symptomatum dyspepsiæ, sat erit meminisse cordis actionem, et sanguinis virtutes, in secretionis statum, et præsertim in concoquendi vim, plurimùm valere.

Si sanguinis cursus in auriculam dextram impediatur, impediatur pariter in extremis venis; inde magis per vasa exhalantia avolare fluida, et inde affectiones hydropicæ evenire debent.

Asthma et phthisis cum pulmonum obstructionibus intimè connectuntur. Ex distensione
cordis

cordis parietum, sæpe originem habuere et diu permanent, debilitas et dilatatio.



DIAGNOSIS.

DIGNOSCERE causas unde oriatur palpitationis, æquè difficile est, et maximi momenti; et quamvis præcepta multa, et universa et propria, tradi possint, multa tamen necesse est se doceat, suâ curâ et judicio, quisque medicus, quem, in omnibus quæ ægri historiam, indolem, aut præcedentes morbos, spectant, certiore fieri oportet; et multùm quoque ex ipso ægro discat, si animum vertat in signa comitantia, et in medicamentorum virtutes, utrùm vim morbi minuant vel urgeant.

Palpitationis

Palpitationis quæ evenit ex debilitate vel irritabilitate morbida, leviores sunt aggressiones et ocyùs transeunt, dummodò remissiones integriorum sunt et diutiùs manent. Hinc potentiores fieri debent causæ temporaneæ unde necesse eveniat. Hæc species est quæ evenit plerumque pubertatis ævo, quando sæpius adsunt systematis nervorum mobilitatis auctæ signa; vel si laboret forsan æger, vel olim laboravit, hysteriâ, melancholiâ, arthritide, vel vermibus. Paroxyfmi etiam sensim attenuantur, usu medicamentorum roborantium, aëre salubri, modicâ corporis exercitatione, vel ætate provectiore, quæ robur simul et maturos annos secum afferat.

In specie cardiacâ, videlicet quæ à vitiis cordis organicis pendet, paroxyfmi plerumque sunt severiores, ægrotusque rarò integrâ fruitur, vel palpitationis, vel signorum aliorum molestiam afferentium, remissione.

In
hâc

hâc specie, dolor sæpe à thorace retrorsum ad spinam sentitur. Sæpe etiam occurrit morbus senescentibus annis, quando arteriæ vim suam refiliendi amittunt; et LANCISIUS testatur de centum sponte ortis aneurismatibus, plus quinquaginta in gulosis et bibosis, se vidisse.

At sanè variæ cordis structuræ læsiones, vix aut ne vix quidem possunt à se invicem internosci. Palpitatio autem magis notabilis, et pulsibus arteriarum maximè respondet, cùm ventriculi dilatatione provenit. In ventriculi vel auriculæ dextræ aneurismate, cor haud adeò manifestè micare videtur. Est itidem quoque tantus in venâ cavâ sanguinis renixus, ut venæ jugulares pulsus arteriarum æmulentur. Hinc sæpe ab eo renixu hydrops grassatur.

Sanguis

Sanguis per valvas malè suis muneribus fungentes, huc illuc irruens, interdum sibi- lum elidit, et est audire quendam quasi stridorem ab offe vel cretâ in valvis co- acervatis. Hoc signum, æquè ac venarum pulsus jugularium, si adsint, satis proprium cordis aneurismatis præbet indicium.

Cor inferius, propter magnitudinem, ali- quando micare compertum est, quod se sentire, necnon dilatationem ipsam, opinan- tur ægri. Dr FERRIAR *, autem, in quibus- dam ægris, inter palpitationem, cor in cos- tam nonam vel decimam inniti comperit, in quibus post mortem vix erat præter na- turam amplum. Parietes autem crassiores fuere, et pericardio pleuræque in latere si- nistro arctissimè connexæ. In his præerant signa carditidis.

D

Cum

* Medical Hist. and Reflections.

Cùm cor hujusmodi præter naturam partibus vicinis annectitur, actio ejus, uti ait SENACIUS, potiùs tremor esse quàm palpitatio videtur.

Si in dextro latere cor micare videatur, crebro usu compertum est, vitium esse in ventriculo vel auriculâ dextrâ ; rara etfi extent exempla, eodem auctore, cordis à situ naturali abscessu detrusi.

Morbi qui à statu foraminis ovalis arteriæ pulmonalis vel canalis arteriosi pendent, qui pulmonum functionem adeò impediunt ut sanguis mutationes suas solitas subire nequeat, plerumque à languore, vel colore cutis livido neque florente, dignosci possunt. Puer equidem cœruleus, rarò nisi paroxysmo correptus convulsivo, palpitatione laborare solet. Exempla hæc corporis malè formati, uti ex structurâ progrediuntur, ita plerumque primis annis

nis certissimis signis patent. Interdum signa admodum certa affectionis morbidæ infans non exhibebit, nisi duo vel tres annos natus, quando symptomata illa indies ingravescent, ubi vires suas musculares infans quæret et exercebit.


Cùm angina pectoris à paris cordis structuræ læsione, quâ aneurisma, nascatur, scilicet à valvis et parietibus cordis, ostiis aortæ, vel bronchiis durioribus, et nimirùm offeïs factis, perdifficile erit, neque multùm refert, illum ab ipso aneurismate distinguere. Erit equidem verisimile, dilatationem esse deinceps orituram. Anginæ pectoris autem signa, sine quavis structuræ læsione patefactâ, aliquando accidunt; quibus igitur modis hæc à signis aneurismatis propriis discrepent, exponere conabor.

Incidit angina pectoris ferè solummodò in ætate provectiores. Maximè ingruit, post frigus nimium, vel post alternas frigoris et calo-

ris

ris vices; cùm aneurisma sæpius enixus subitos et vehementes consequitur.

Spirandi difficultas, anginæ pectoris signum, ægris in latus cubantibus, parùm augetur. Aneurismate laborantes, rectâ cervice multò faciliùs spiritum trahunt. Angina verò pectoris, maximè innotescit dolore acuto, vel constrictione lateris sinistri thoracis, qui per pectus interdum transversè micat, et per viam musculi pectoralis, et bicipitis, progreditur.



PROGNOSIS.

DESCRIPTIONI accuratæ, causarum unde ortus fuerit morbus, necesse est innitatur prognosis.

prognosis. Vix quidquam timendum erit, si morbus, ex causis temporaneis tantum oriatur, quæ affectionem morbidam, nequaquam denotant; si ex mutuo partium distantium affectu eveniat, vel si signum sit morbi curatu facilis; si animi affectionibus quibusdam concitetur, utpotè melancholiâ vel mœstitiâ subitâ; si corporis cruciatus insolitos, vel si plethoram vel debilitatem fortuitam, consequatur; si, demùm, signum sit hysteriæ, amenorrhœæ, dyspepsiæ, arthritidis, vermium, aut morborum similium, optima auspicari licet.

Nihilominus est, ubi hinc ortus paroxysmus, tam vehemens est, et in systema universum tantâ vi ingruit, ut morbos inferat quibus obstare medicina nequeat. Varii pulmonum morbi post palpitationem sæpissimè superveniunt.

Palpitatio,

Palpitatio autem cardiaca, ne in lethales prodeat exitus, maximè cavere oportet; et ex periculo, ne hanc formam induat, præcipuè timenda est, palpitatio debiliū. Et quidem cordis aneurisma, ferè nunquam non lethale erit; quo autem tempore fors exitura sit, sæpe ipsâ instante morte, prævidere nequimus.

Quò paroxysmi sæpius, atque à causâ leviori, grassantur, vel diutiùs perstant, eò majore, mortis intempestæ, discrimine versatur. Quæcunque adsunt signa, indies plerumque ingravescent, ut citiùs ocyùs, tempore haud præviso, variisque modis, mortem afferant.

Hanc causam haud rarò excipit, aortæ ascendentis aneurisma, ex quo costis illis et absorptis, sensim emineat extrorsum tumor. Hinc tunicis, arteriæ potissimum magnæ, extrorsum disruptis, vel in tracheam, vel in cavum thoracis, derepentè æger de medio tollatur.

latur. Talis arteriæ faccus dorfi vertebris diu incumbens, ossibus inde absorptis, medullam potest spinalem comprimere.

Cùm Dr RUTHERFORD, propter aortæ aneurisma, ut solet, affabrè diffecaret, bis aderam ubi ossa vertebrarum malè se habebant. Ita, fortè, vel medulla ipsa spinalis, vel varii nervi, comprimi possunt. In altero, enim, dum fuerat superstes, quædam etsi levia, orta erant signa paralyseos.

Prout alii exoriuntur morbi, ut cor amplum est, vel ut ventriculi potiùs quàm auriculæ dilatantur, tantò est periculosius. Est quoque interdum, in extremis diebus, cutis lividior; et spirandi difficultas adeò ingravescit, ut rectâ solùm cervice spiritus trahatur, et ab omni motu, vel cibo, prorsùs abhorreatur; certa, fanè, suffocationis ingruentis, et citæ mortis, indicia!

Si

Si multum impediatur sanguinis in auriculam dextram reditus, vel si sanguini in pulmonibus renixus est præter naturam, haud mirum si nascatur hydrops. Serum quidem plus minus, ferè in quemvis corporis cavum, præcipuè in thoracem, et haud rarò in pericardium, excretum manet. Reditu sanguinis à cerebro ita impedito, apoplexia, vel sanguinea vel serosa, sæpe provenit. Ab utroque equidem morbo, ab hydrope scilicet et apoplexiâ, mors haud rarò contingit.

CURATIO.

DE variis curandi methodis disceptanti, eæ primùm sunt spectandæ, quæ, durante paroxysmo, exhiberi possunt, vel quæ symptoma-
ta

ta præsentia et vehementiora, leniant tantùm vel sedent; et illæ deinceps, quas in causas ipsas amovendas adhibere oportet, et quæ corporis temperiem hujusmodi incurfionibus minùs exinde expositam efficiat.

CONSILIUM PRIMUM.

Est ubi multùm prodest, gravi instante paroxysmo, sanguinem detraxisse. Hoc interdum non tutò fieri, neque sine periculo mortem ipsam afferendi, auctor est MORGAGNI; si autem magno dolore et angustiiis æger laboret: si spiritum trahere ferè nequeat; si pulsus valido micet ictu; si plenitudo hæc, ex repressione soliti fluxûs, oriri videatur; si denique pauca adsunt, debilitatis vel hydropis signa, cautè ad tale remedium decurritur.

Cùm pulsus fluxu haud ægro æstuat, cùm syncope faciliter supervenit, cùm morbus ortus fuit ex animi affectionibus doloriferis, vel ex quâvis causâ quæ robur minuit, maximè exhibenda sunt medicamina stimulantia, utpotè vinum potus generosiores, spiritus salis ammoniaci, et similia.

Multùm sæpiissime præbet auxilii medicamentorum antispasmodicorum adhibitio, utpotè opii, ætheris, camphoræ, asæfœtidæ, &c. Nihil in hunc usum meliùs plerumque inservit, quàm haustus ætheris cum opio conjuncti.

Si paroxysmus clarè eveniat ex aciditate in primis viis, vel ex flatu, detur magnesia in aquâ menthæ piperitidis, quæ multùm sæpe salutis afferet. Plerumque tamen si paroxysmus sit vehementior, necesse est recurrere in
medicamina

medicamina vi antispasmodicâ summè prædita. Ægro, si sit animi deliquio expositus, nocere possunt anodyna. Pediluvium adhibere, et corporis superficiem fricare, suadet SENACIUS.

Solamen fert plerumque ægrotis certa quædam corporis positio, quam eligunt, vel quia minùs molestam illam usu comperiunt, vel quia sensu infito doloris levationi consulunt. Motûs cujusvis omninò expertes, et aliquantulum reclines, maximè leniuntur. Est ubi in alterum latus incumbunt, vel prostrati paululum pectus, pelvino suffulciunt. Infantes qui malâ cordis formatione laborant, sæpe se in pectus prosternunt humi vel contra aciem mensæ, et ejulatus tristes et halitus per vim ejiciunt.

Dura manûs pressura in regionem hypochondriacam, vel inter costas ubi sentitur pulsatio,

fatio, dummodo lateri dextro æger innititur, palpitationis vim lenire videtur *.

CONSILIUM SECUNDUM.

IN paroxysmorum intervallo, in quicquid irritationem quoquomodò excitet, summo perè cavere oportet, corpus univèrsum, et præsertim fibrarum muscularium intensionem, roborare, et demùm causas omnes excitantes vel temporaneas evitare. Aliquando equidem, si vasa, solitâ quâvis evacuatione, præsertim sanguineâ repressâ, nimium et subito sint repleta, et si violenti hinc et formidabiles paroxysmi, constanti et insolitâ sanguinis irritatione, eveniant, proderit forsàn ex ipso loco, vel ex corpore univèrso, sanguinem emittere.

Scalpellum

* BALMANNO de Palpitatione.

Scalpellum hodiè multò rariùs quàm olim à medicis usurpatur, et ipse quidem credo venam in hoc morbo incidere, spe plethoram mendendi, haud unquam ferè esse vel necessarium vel salubre. Si fortuitæ sint plethoræ causæ, si mortem minitentur signa instantia, et si spes sit, auferendo irritationem, unde fuerit ortus, morbum in limine cohibendi, venæsectio forsan indicari videatur. Nequaquam verò est diutina hujusce evacuationis utilitas; sanguinis aucta est secretio, et brevi temporis spatio repetatur necesse est evacuatio, ne plethora, quæ indies ingravescit, lethalis fiat; et quò sæpius repetatur, eò sæpius repeti postulabit.

Quod sæpissime irritat, est conturbatio quælibet in primis viis, utpotè ex fæcibus alvinis, ex aciditate, flatu, vel vermibus. Non opus est ut hîc singulatim de dyspepsiâ, verminatione,

tione, aliisve, differamus. Notatu forsan dignum erit, nihilum plus in palpitationes medellam valere, quàm animum in functiones alvinas diligenter advertere. Plurimum certè hoc valet in omnigenis corporis affectionibus, potissimum verò in morbis qui ad thoracis functiones pertinent, et insignem habet et præsentem vim in generis nervosi et muscularis vigorem. Hoc efficere licet, partim victus et morum ratione, partim cathartorum leniorum usu, utpotè magnesiâ, rheo et aloë; pilula rhei composita, formula est utilis et commoda.

Si ex vasis nimium repletis oriatur irritatio, viscera præter naturam aperiri debent. Cathartorum drastorum adhibitio plerumque est vitanda, tum quia irritationem magnam excitant, tum quia corporis vires nimium exinaniant et deficcant. Clysteribus emollientibus aliquando opus est, qui ab infimâ intestinorum

norum parte irritationem auferant, et corporis temperiem universam minimè deturbent.

Cavendum est post hâc, ut æger sit deinceps causis solitis excitantibus, vel temporaneis, minus obnoxius. Hoc fieri potest, usu medicamentorum quæ tonica appellant, corticis scilicet Peruviani, colombæ, serpentariæ, chalybis, aquarum chalybeiarum, &c. Plurimum verò valet aquæ frigidæ balneum, et mediocris et constans corporis sub die exercitatio.

Medicamina tonica utiliter jungi possunt inter se, vel cum rheo et aloë. In balnei usu, et exercitationis gradu, cautè æstimanda est cujuslibet ægri conditio, et morbi vis. Pro arbitrio suo dijudicet quisque medicus, utrùm in augendum corporis robur, an in excitandum morbum, plus valere videatur, certa

certa quædam exercitatio, aut immerfionis in aquâ frigidâ impetus.

Sit cibus, æquè alimentum præbens ac coctū facilis, et nequaquam irritationem excitet. Herbæ acedentes omnimodis evitentur. Servetur modus in omnibus, et cohibeatur quilibet excessus. Interdum forsan neceſſe erit vinum, uti medicamen tonicum, modicè adhibere; dum verò bibendi intemperantiam ſemper deprecari oportet, eſt ubi à latice generoſiori erit omninò abſtinendum. Plethoram equidem, ubicunque patet, optimè mederi poſſumus, victu tenui, et modico corporis labore, quoniam hâc ſolùm viâ plethora amovetur, ſimul ac corpus acquirit vires.

Si quid in animi affectionis, deſideria, et cupidines, valemus, ſi quid in divinæ illam particulam auræ aliâ quâvis quàm corporis operâ ratione efficere poſſumus, magnoperè
in

in palpitationem sanandam conferet. Si de animo philosophari, sit aliud quodvis quàm ferio nugari, et speciosis somni ludibriis indulgere, quicquid animum irritet et exacerbet inferre sedulo curemus, et quicquid purè tranquillet fervare.

Mentem in ea intendere conemur, quæ studia sua excitent, et vires modicè exerceant, simul atque haud intentione nimiâ, neque solitudine ansiâ, ægrum vexant. Officiis, usu, consuetudine, et convivio, cum cæteris hominibus conjungi, alacrem facit et hilarem; dum solitudo, et curis et cogitationi nimium invigilare, et imaginationis deliramenta diutiùs fovere, mœstitiam adfert, hebetudinem, et morbum.

Quamvis equidem cordis vitia omninò sanare nequeat, plurimum tamen prodesse poterit medicus peritus. Sæpe enim vel vitam

F

producet,

producet, vel mala quæ summovere nequit, leniet et emolliet. Adversus hanc sanè causam, medicamina nulla efficacia sunt et idonea, et si cor semel ad functionem suam minus valeat, abhinc in pejus ruere fit indies proclivius. Plures autem causas remotas, sive excitantes, sive quæ proclivitatem hanc efficiunt, multùm proderit evitare.

Ideò ab omnigenis causis quæ multùm vel subitò vasa sanguifera distendunt, quæ plus æquo genus nervosum excitant, vel mobilitatem ejus augment, quæ denique pulmonum functionem, vel sanguinis per pulmones circuitum impediunt, sedulò præcaveatur.

Haud rarò morbi à palpitatione orti mala haud exigua secum afferunt, ideóque adversus hos adhibenda sunt remedia. Præ omnibus, excretiones, per fæces et urinam, assiduè
conserventur,

conserventur, et sæpe vix quidquam prætereà fieri potest.

Si nascatur hydrops, præsertim si in cavum thoracis aqua effundatur, remedium diureticum, digitalis purpurea, plurimùm valebit. Haud minùs enim ad renum actionem ciendam, quàm ad sanguinis impetum minuendum, idoneum compertum est.



